



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 5. Christi nativitas plena gratiis, solatiis, benignitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

zio; nec obsequium deduxit Angelorum; non movit Archangelorum exercitus; sed venit omnium Dominus in forma servi, paupertate circumamictus; ut venationem non effugaret. Baezal. 2. c. 2. §. 2.

§. V.

*Nativitas Christi plena gratis,  
solatiis, benignitate.*

*Invenit super puerum &c.* 4. Reg. 4. 34. Quid ostendebat in baculo, qui suscitare non potuit; nisi legis offensionem? Et in Elizeo significabat Christi nativitatem; qui se habuit minorare, assumens quod non erat; non amittens, quod erat: & suscitaret mortuum, id est, genus humanum, quod acceperat sententiam primi hominis: *morte morteris*. S. Chrysol. in Pl. 22.

*Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere: festina praedari.* Isa. 8. 3. Quid est illud, quod scribitur humano stylo, ut puer natus velociter spolia detrahat, & cito praedetur? hoc est, ne ultra patiat regnare diabolus; nec mittat angelos, nec Prophetas; sed ad salvandas creaturas suas ipse descendat. S. Hieron. l. 3. hic.

*Consolamini, Consolamini, populo meus, dicit Deus vester.* II. 40. 1. dicit hoc Emmanuel vobiscum Deus. Clamat hoc stabulum, clamat praesepe, clamant lacrymae, clamant panni. S. Bernardus f. 7. de Nat. D.

*Ubi est, qui natus est, Judaeorum?* Matth. 2. 2. Quam certa, atque securâ, interrogatio! Jam Romani legem dederant, ut sub periculo mortis nemo alium regem vocaret, sine eorum consensu. Fuit quoque praecipuum, & Magis non ignotum; quod, qui, rege vivente, alium regem pronuntiat, aut adorat, puniunt in sanguine. Quomodo ergo Magi audent, vivente, & regnante, Herode, in ejus praesentia, sine Romanorum consensu, regem alium profiteri? Procul dubio istam eis audaciam puer natus influxit: nondum viderant Christum; & jam parati erant mori pro Christo. Dion. Carthuf. hic.

*Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth.* Matth. 2. 23. S. Bernardus de Pass. D. c. 43. Nazareth florem interpretatur. Quid enim jucundius flore? Multi autem, imò omnes, id est, omnium virtutum flores, in nostro Nazareth sunt; quarum delectabili odore totum Mundum traxit post se Apud Sylveira, hic.

*Peperit filium suum primogenitum.* Luc. 2. 7. Nota: Christum D. mediâ nocte fuisse natum; quando homines rerum omnium, & sui etiam, obliti, in utramque, sine curâ, aurem dormiunt. Unde Cant. 5. 2. *ego dormio, & cor meum vigilat.* Cor meum, id est, sponsus meus, amor meus: qui cor meum est, en ipse vigilat. Stella hic.

*Humanitas, & benignitas Apparuit &c.* Tit. 3. 4. Ubi Dei innotescit Humanitas, jam

benignitas latere non potest. S. Bernardus f. in Epiph. D.

Quanto minorem se fecit in Humanitate, tanto majorem se exhibuit in bonitate: & quanto pro me vilior, tanto mihi charior est. Id. ib.

Consilium antiquum prodiit palam, nec jam secretum est; sed innotuit publicè in conspectu Gentium revelata Christi benignitas. S. Cyprianus de Nat. D.

Hodierni mysterii Sacramentum, virtutum stabilitas, ruina vitiorum. S. Greg. Naz. hom. 4. in Nat. D.

Immolata pro nostra redemptione caro Christi, totius Trinitatis latitia est. S. Eligius hom. 8.

Deus in terra agit, & quis in caelum non evadat? Deus ex Virgine natus in medium prodiit, & quis hodie divinus non efficitur? S. Sophronius or. in Nat. D.

Hodie fratres charissimi, Christus natus est nos renati. S. Greg. Naz. hom. 1. in Nat. D.

Jesus Christus Filius Dei nascitur Bethlehem Juda. Tanta est gratia sermonis hujus, & continuo incipiat minus sapere, si vel unum jota mutavero. S. Bernardus f. 1. in Vigil. Nat. D.

Positus in praesepe, spiritualium cibus effectus est jumentorum. S. Bernardus hom. D. infra octav. Epiph.

Quanto pro me egit viliora, tanto bonitatis suae dedit indicia majora. Ipse parvulus lectulus; ipse pullus est indutus. Gilbertus f. 2. in Cant.

Exhibet se nobis puerum in remissione peccatorum. Si offendisti puerum; cito, & modico, & pomò, vel ovo, ei reconciliaris: sic & poenitens Christo. S. Bonavent. l. 1. in Epiph. Dom.

Et haec gratia nobis hodie apparuit, dum celavit Deus potentiam in infirmitate, sapientiam in infantia, justitiam in pietate, & circumcissionis satisfactione. Tanquam impulerit Deus silentium eis, & dederit audientiam totam misericordiae. Joan. Gerson f. de Circumcis.

Gratias tibi, Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis; quia caelasti sapientiam in infantuli aetate, ne accuset; justitiam in Humanitate, ne condemnet; potentiam in infirmitate, ne saeviat, & cruciet: quibus superatis datur triumphus gratiae, datur & misericordiae; ut dominetur, & superexaltet judicium. Id. f. in Pur. B. V.

B. Virgo ipsa nocte Nativitatis revelavit S. Brigittae, ut ipsa refert f. 6. revel. c. 88. dicens: cum nasceretur ex me, indicibili exultatione, & mirabili festinatione, clauso meo utero virginali, prodibat.